UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Titul. 7. Exempla.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

EXEMPLA.

Confirmãt timorem neceſſariũ.

Tit. VII.

Refertur de Religioſo quodam negligente, qui quâdam vice infirmus & in ſpiritu raptus, ad Divinum productus fuit Judicium, vbi reperit Matrem ſuam acerrimè eum reprehendentem & dicentem: quomodo hic fili mi? ubi jam primus fervor tuus? ubi verba illa, quæ in Religionis ingreſſu loquebaris: *Volo ſalvare animam meam?* Ad hæc filius hærens attonitus, totusque perturbatione & confuſione plenus, quid reſponderet, neſciebat: rediit denique ad ſe, & ea, quæ acta erant, seriò perpenſans mutavit vitam, aſperamque admodùm egit pœnitentiam; nonnullis vero eum monentibus, vt nonnihil ſibi parceret, & de tanto rigore pauxillum remitteret, reſpondebat: *Si improperium Matris meæ ſuſtinere non poſſum, quomodo Chriſti & Angelorum eius aduerſùm me confuſionem in die Iudicii ſuſtinere potero?* *Ex Vitis SS. PP.*

Capiamus exemplum quoque à S. Auguſtino, qui in Confeſſionibus de ſeipſo ita loquebatur: *Nihil me à voluptate carnaliũ revocabat, niſi metus mortis & futuri iudicij*, hic timor vnicum erat frænum, quo domabam carnem meam. *S. Aug. Flor. c. 4. tit. 75. exemp. 2.*

De Accuſatoribus.

Tit. VIII.

Primò, erit Deus ipſemet: *Ego ſum Iudex & teſtis.* *Ierem. c. 29.* Secundò, Angeli boni. Tertiò, Dæmones. Quartò, propria conſcientia, juxta illud Apoſtoli: *Teſtimoniũ reddente illis cõſcientia ipſorũ.* *Ad Rom. 2.* Quintò, propria peccata: *Arguet te malitia tua.* *Ierem, c. 2.* Præterea peccatorem accuſabunt Crux Chriſti, & ſanctiſſimæ Paſſionis eius inſtrumẽta, quæ tam exiguam improperabunt correſpondentiam, ſummamq; eius ingratitudinem. Accuſabunt

& cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN